

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS
manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis ſeptimo, menſis Novembris, anno Domini M. D C C. X L I I I.

M. DAVID VASSE,
Doctore Medico, Præſide.

An ſalubre condimentum, Sinapi?

I.


SINAPI [Granum ... *quod minimum quidem eſt omnibus ſeminibus, cùm autem creverit, majus eſt omnibus oleribus, & fit arbor, ita ut volucres cœli veniant & habitent in ramis ejus* Math. 13. 32.] triplex eſt Species: Rapi ſcilicet alia; altera Apii; tertia tandem Erucæ folio, Caſparis Bauhini Pit. Turnefort: Quæque uſui eſt. [Pergratum

quidem iis, quibus curæ venter eſt, obſonium; infirmis verò ciborum ſalubris conditura: Ipsâ quot variantur modis fercula, mirandum! Cum & ſine præparatione aut mixturâ manditur Sinapi. Ehedum ex ejus recordatione ſcatet in ore ſaliva, lachrymæ ex oculis deciduæ fluunt, titillatur in naribus (pituitoſa quæ vocatur) membrana: & ſi eſus cupiditatem cibi promoveat, dum ejus condimentum eſt fames; morbo laborantibus appetentiam renovat, en remedium; ſatiatis, indulget aviditati; en irritamentum gulæ: uſu modico ſanitatem conſervat, reficit, arcet morbos. Ad coquendos cibos idoneum imò celerem ex tardo efficit ventriculum.

I. I.

DIVIO, Sueſſio, Andegavium, Bellemontium Rogerii, imò populoſiſſima Lutetia, urbes ſunt famâ quam genuit utilitas apud gallos celeberrimæ; in iis enim conficitur electarium quod ſuâ etymologiâ ſimplex ſinapi nomen ſortitur: hæc confectio, pro diverſâ qua paratur conditione vires & nomen habet urbis diverſa: hinc Divionis ex muſto, Andegavii ex aceto, ſueſſionis ex aquâ ſimplici, &c. Sinapi vocatur Divionis, Sueſſionis, Lutetiæ, &c. In menſis frequentiſſime adhibetur: nec ulla tempeſtas in qua exulet: ſi non omni nec cuique ſexui, ætati ac temperamento convenit; ideo quia in Medicis propoſitio generalior nimis probat; aſt è converſo, omnia (Caffe, Thee, Chocolatum, ſalſa, ſaccharata, mellita &c.) condîta, ſalubritate, odore, ſapore, numero cedant ſinapiſmo.

I I I.

CIBORUM, quos educationis ergò natura dedit; nec non organorum ad operanda conficiendaque ea quæ ad vitam neceſſaria conſtituit, magna ſuppellex: at ſi iſtórum, quæ ex multiplicatis diverſeque præparatis ferculorum ſpeciebus mediorum numeretur ratio, quæ, quot & quanta adjumentorum ſeries: Undè ſi infinita pene numero temperamentorum ſumma atque computatiò, ſupereminet nutriendi, conſervandi, reſtaurandi, curandive ceu ſanandi multifaria miniſtrandi caterva: hinc in edulio parando obſonii inveniendi nulla difficultas, eligendi vero condimenti ſcientia expetitur: at qui ſinapim noverit eâ uſus paginam adimpleat in procurandâ alimentorum digeſtione neceſſe eſt, dum planta iſtæc vi polleat qua in ore morſa, manſa maſticataque, undecim fon-

tibus salivæ diluta; dentibus trita, aere impregnata jam jam semi cocta degluttiuntur; unde si saliva deficit, lacrhymæ & mucus narium vices gerunt dum utrumque titillatum ad fauces appellit: si crassa eliminatur; si sale acri foeta, acriori quo corrigitur mutat diathesim; si vappida, spiritu turget: nec solo in ore vim suam exerit, in pharynge, œsophago, cardiâ, ventriculo, imò in intestinis, in vasis lacteis, in venis quibus primùm miscetur chylus, in dextro cordis ventriculo, tandem in pulmonibus alacrem ultima se gerit chymosis; unde sanguinis confectio perfectior; secretiones excretionesque cujuslibet generis liberiores, abundantiores, promptiores.

IV.

SINAPI, cum turgeat, quo pollet, sale acri volatili oleoso; cephalicum, cardiacum, stomachicum, hepaticum, diureticum, sialogum &c. audit. Ingreditur aquam antiscorbuticam, emplastrum & unguentum epispasticum in codice medicamentario Parisiensi. Electarium Mustarda (cujus etymologia mustum & ardere) viribus pollet innumeris; incidit enim, attenuat, aperit, discutit, diversos appetitus & quidem salutares excitat; humores quos phlegma appositè vocarunt Græci, dirimit, diripitque; lapides in renibus, disrumpit diruit; vermes enecat, destruit nociva; in quartanâ feliciter adhibetur febri; melancholiæ hypocondriacæ prodest; scorbuto quàm mirè confert; sternutationem provocat; pituitam, urinas, sudores, lachrymas, salivam elicit ad modum; tumores resolvit, perniones præcipuè; digerit abscessus atque maturat; in applicandis cucurbitulis & scarificationibus inspergitur pulvis aut applicatur emplastrum unguentumvè in paralysi, apoplexiâ, membrorum torpore, revocandâ podagrâ imò & aliis morbis ubi stagnat humor, vappidus sanguis, &c. Patres nostri laudarunt, probarunt, adhibueruntque ad omnia fere commoda adeo ut si tam serò advocata in usum sunt Tabacum, Thee, Chocolatum, Caffé & alia bene multa, suspicari est, in nostro presenti medicamine, alimento, condimento vim inesse quæ supradictorum vices suppleat.

V.

SUA sunt cuique mensura & modus; unde nec instet quis, Sinapi non esse alimentum, cum præsto reponatur esse condimentum. Si conqueritur adversarius quod lachrymas eliciat, nares pungat;

offertur ei panis ut naribus applicet, & Sinapis parciori dosi utatur, monetur benignè: quid si ridendo de Sinapi Vulgatum referatur proverbium, post pransum Sinapi, non seriò aliud venit retorquendum. Nihilo melius hilum, modo (& si tardè) veniat. Tarde qui veniunt sunt pauperes quibus remedium paratur Sinapi pro scrophulis, scorbuto, & febre à viscerum infarctu ex pravis (maximè ex pane sicco & secundario) alimentis: ipsis prophylacticum sæpiùs mansum; si verò non omnibus & non semper, sæpissimè saltem & quam pluribus mirificè adhibetur.

Ergo salubre condimentum Sinapi.

Proponebat Parisiis, CLAUDIUS BOURDIER DE LA MOULIERE, Borbonnii Arcimbaldici Doctor Medicus Andegavensis, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, A. R. S. H. 1743. à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Parisiensis Typographi, 1743.